

1982-02-15 – SS Ioannes II - Littera ‘Templum Istud’**IOANNES PAULUS PP. II****LITTERAE APOSTOLICAE****TEMPLUM ISTUD**

**TEMPLUM FAMILIAE SACRAE DICATUM INTRA ARCHIDIOECESIS NAIROBIENSIS
FINES AD TITULUM HONOREMQUE BASILICAES MINORIS PROVEHITUR**

Ad perpetuam rei memoriam. – Templum istud praeclarum Familiae Sacrae dicatum intra Archidioecesis Nairobiensis fines, quod merito quidem ob structurae modum artisque christianaे ornatum necnon ob frequentis populi cultum ac pietatem reliquas eminet inter eiusdem communitatis sacras aedes insigne, non sine optima omnino causa Venerabili Fratri Nostro Maurilio S. R. E. Cardinali Otunga, Archiepiscopo ipse Nairobiensi, visum etiam dignum est et idoneum quod veluti primum eius modi aedificium cohonestaretur Basilicae Minoris titulo. Provida igitur mente Praesul ille ab hac expetivit Apostolica Sede ut talis usquequa dignitas gregis sui adiceretur Ecclesiae Cathedrali, plane videlicet confusus magnam exinde proventiram esse cleri ac populi sui utilitatem. Quibus Nos libenti animo precibus obsequentes atque accipientes simili voluntate sententiam Sacrae Congregationis pro Sacramentis et Cultu Divino statuimus harum Litterarum vi Nostraque potestate apostolica ut quod supra commemoravimus templum Deo consecratum in honorem ipsius Sacrae Familiae legitime ad titulum provehatur honoremque Basilicae Minoris et augeatur simul universis iuribus ac privilegiis quae aedibus illo insignitis nomine rite recteque conveniunt. Praecipimus tamen ut omnia et singula ea observentur quae per Decretum «De titulo Basilicae Minoris» die VI mensis Junii anno MCMLXVIII foras datum adserventur oportet. Contrariis qubusvis rebus neutiquam obsistentibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XV mensis Februarii anno MCMLXXXII Pontificatus Nostri quarto.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a pubblicis Ecclesiae negotiis*